


.H.P.

.1671.







Exeqvijs

MATRONÆ,

Qvà antiqvi generis splendorem, qvà eximia omnium Christianarum virtutum ornamenta præstantißimæ ac honoratißimæ

ELISABETHÆ Schwalchs/

VIRI

Magnifici, Consultißimi & Excellentißimi

DN. SEBASTIANI HEMPELII,

J.U.D. Reg. Mtis Svec. & celsiss. ac Illustriss. Princip. Pom. Consiliarij fidelissimi, Conjugis qvondam desideratissimæ;

QVÆ

Nata Stetini annô Christi 1603. 14. Februarij; piè denata 1636. 19. Jan. circa 9. vesp. ætatis suæ 33. hodie, 29. Jan. h. 3. pom. ibid. in æde D. Jacobo sacrâ, qvâ exanime corpusculum, adhibitis solitis apud Christianos Cærimonijs humabitur;

Ut

Omnes & singuli studiosi Juvenes in Ducali Pædagogiô freqventes ac lugentes inter sint,

Seriò jubeo & Exhortor

Ego

M. MARTINUS LEUSCHNERUS, ibid Rector.

STETINI, Literis GEORGII GOETSCHII.

Nter plurimas gravissimasq; ærumnas atq; miserias, qvæ infelicem Protoplastorum lapsum consecutæ sunt, non immeritò etiam numerantur plurimi illi & exqvisitissimi dolores, qvibuscum sexus fæmineus, naturâ imbecillior atq; fragilior, tempore partus, ad ultimum usq; vitæ spiritum colluctatur. Etenim sive ipsas prægnantes respexeris, sive fœtũ, sive qvæ extrinsecus sunt posita, omnia hîc ita comparata deprehendes, ut dolor & langvor, horror & tremor, angor & præsentissima mortis imago inter se de primis qvasi contendere videantur. Prægnantes qvod attinet, præterqvam qvòd ipsa cari oneris per tot menses gestatio, plena molestiæ & periculi est, facilèq; casu aliqvô adversô in malum converti potest incurabile, cibi nunc consveti tædium, nunc insveti appetitio miseras divexat: nunc inusitatæ vomitiones, nunc acutiores ventris dolores; cordis mox palpitationes, hinc syncopæ; mox tussiendi necessitas, alviq; nunc suppressio, nunc citata profusio, mortis periculô suspensas penè enecant. Accedunt inflatorum crurum tumores, sangvinisq; ex uterô eruptiones, atq; inde orti perpetui langvores, virium defectio, passiones melancholicæ, animi mœrores, facillimæq; in morbosô & graviùs affectô corpusculô indignationes & exacerbationes. Nihil hîc de ipsius partus difficultate, qvæ aut ipsa mors esse, aut sanè non multum ab illâ distare videtur, dicendum autumo: Labor ille meritò appellatur, imò qvovis labore laboriosior. Fœtum si spectes, næ incommoda inamœnaq; in tam angustô sqvalidoq;, pro ipso, hospite tam carô, habitatio! O mirum iterumq; mirum, qvòd infirmus ille per tantas angustias vivus prodeat, qvod non ipsam novimestrem sui gestatricẽ in lucẽ prorepens enecet! Fieret sanè, paucosq;

intra

intra annos genus hominum exesset omne, nisi mirabilis divina providentia opportunas ferret suppetias, perq; cœcas hasce meatuum umbras, firmiter oppessulatas, commonstraret exitum. Extrinsecus porrò qvot & qvæ tantarum ærumnarum, qvæso, augmenta? ea sanè, qvæ difficilimum hoc naturæ opus, qvod omnem humanarum virium ambitum excedere videtur, innumeris pene aggravent accessionibus. Nunc horrifici bellorum strepitus, nunc improvisæ duellorum coortæ turbæ, bombardarumq; boatus, nunc alia terriculamentorum genera, per se pavidas & meticulosas exanimant: paucis: vix ullum doloris genus, ullave periculi aut mali species cogitari potest, qvæ infelicem hunc sexum, uterum ferentem, non coangustet atq; discruciet. Testis hîc est omni exceptione major, humani generis Servator, qvi afflictissimum discipulorum suorum statũ, tempore passionis suæ, cum parturientium angore comparat: *Mulier*, inqviens, *qvum parit, dolorem habet, qvoniam advenit hora ejus*. Qvæ verò tantorum dolorum causa parturientibus? infelicissimus ille primus lapsus, ipsius Jehovæ testimoniò, qvi, *multiplicando*, inqvit, *multiplicabo dolorem tuum, etiam conceptus tui, in dolore paries liberos*. Lapsus itaq; primævæ parentis Hevæ sexum fœmineum tantis obnoxiũ reddidit ærumnis. Hic est Lernæa illa palus, ex qvâ tot nocivæ hydræ, tot vitæ humanæ pestes prodeunt, qvæq; sævã illam exhalat omnium malorum mephitim. Neqvaqvam verò animus abjiciendus, aut dolori huic succumbendum. Medicus cœlitus datus est, qvi malis hisce attulit remediũ, hodieq; efficit, ut vivus ex homine nascatur homo. Is atrocem hanc peccati pœnam in salutaris patientiæ exercitium convertit, ut non pœna amplius divinæ indignationis index putanda sit, sed salutare derivandæ ad nos divinæ benedictionis organon, qvod, si qvando doloribus paulò

 refer-

refertius, Christianæ fidei & constantiæ δοκιμασία atq; probario est. Imò si fortè svavi mortis somnô oculos obsopitos claudat, instar martyrij est, talemq; mortem passæ, ceu gloriosæ victrices, ex tenebricosa hac ærumnarum valle, ad cœlestis & nunqvam desituræ vitæ gaudia transferuntur. *Salva namq; fit mulier per generationem liberorum, si manserint in fide ac dilectione & sanctificatione cum castitate. 1. Tim. 2. v. 16.* Sive itaq; in partu, sive post partum moriatur, sive eluctata vitam ad plures casus similes retineat, in fide si permanserit, atq; hanc officij sui functionem satis arduam in verâ dilectione DEI atq; proximi, inq; sanctitate non fucatâ obiverit, reposita ipsi in cœlo est corona justiciæ, proq; momentaneâ hac afflictione, æternum pondus gloriæ, qvod nullis mundi delicijs, nullis thesaurorum pretijs, secularibusve voluptatibus permutandum. Qvod summâ hactenus cum pietatis laude fecit matrona antiqvi generis splendore, omniumq; Christianarū virtutum ornamentis cultissima *Elisabetha* Schwalches / Viri Magnifici, Consultissimi & Excellentissimi Dn. *Sebastiani Hempelij*, J. U. D. Regiæ Mtis Sved. & Jllustrissimi Principis Pomer. Consiliarij eminentissimi, Conjux desideratissima, qvæ cùm & ipsa non ita pridem, post exantlatos, ante aliqvot hebdomadas, partꝰ difficilioris dolores, ineluctabile qvoddam morbi malum concepisset, illudq;, postqvam publico se Ecclesiæ conventui, ardentissimô audiendi verbi divinî desideriô, consvetis apud Christianos cærimonijs, restituisset, irritatum violentiùs ipsam oppugnare cœpisset, fractis labefactati corpusculi viribus tantam mali vim amplius non ferentibus, salvificâ meriti Servatoris sui fiduciâ freta, doloresq; suos & mortis angores spe longè melioris vitæ salutariter solata, omnium malorū tandem divini Spiritus auxiliô effecta victrix, depositis apud nos cor-

poris

poris exuvijs, ad beatiſſimum & jucundiſſimum beatarum mentium concilium, lætabunda emigravit. Nos, ut & ſanctiſſimis corporis Ipſius reliqvijs, qvæ hodie communi mortalium Matri terræ reſtituentur, ultimum exeqvialis honoris officium præſtemus, & eminentiſſimo jamq; , heu dolor! inſperatô hoc caſu afflictiſſimo Dn. viduo, ut & toti ampliſſimæ lugenti familiæ piam noſtram obſervantiã & condolentiam declaremus, vitam piè defunctæ, qvam apud nos honeſtiſſimam & innocentiſſimam exegit, brevi delineatione recenſebimus.

Natam illam accepimus Stetini, annô poſt reparatam hominum ſalutem, ſupra milleſimum ſexcenteſimô tertio, 14. Febr. parentibus ampliſſimis & celeberrimis; Patre qvidem Excellentiſſimo, Conſultiſſimo & Eminentiſſimo viro Dn. *Samuele* Schwalch / J. U. D. & Ordinum Provincialium ac Reip. Stet. Syndico meritiſſimo: Matre autem honeſtiſſimâ omniq; matronalium virtutum genere ornatiſſimâ fœminâ *Annâ Maria Fridericianâ*, qvi optimi parentes qvanto & generis ſplendore, & optimarum virtutũ ac laudabilium actionum celebritate vivi claruerint, & breviter dici neqvit, &, cùm bonis omnibus ſit notiſſimũ, prolixâ narratione attingendum non eſt. Avum in paternâ lineâ ſortita eſt virum Honeſtiſſimum & Spectatiſſimũ Dn. *Joachimum* Schwalch / mercatorem hujus urbis primarium; aviam lectiſſimam & honeſtiſſimam fœminam, *Urſulam* Weiners: In maternâ autem linea Avus ipſi contigit Ampliſſimus, Conſultiſſimus & Excellentiſſimus vir Dn. *Chriſtophorus Friderici* J. U. D. itidem Provincialis & Urbanus hîc Syndicus eminentiſſimus; Avia Nobiliſſima, & omnigenô matronaliũ virtutum ornatu decoratiſſima fœmina *Urſula Rudolphina*, cujus egregia & non fucata pietas, honeſta converſatio & alia virtutum ornamenta ho-

dieq; bonorum omnium lingvis ac sermonibus celebrantur ac prædicantur. Ex optimis itaq; & spectatissimis hisce parentibus atq; majoribus orta piè defuncta, maturè, fidelissimâ parentum curâ, Christo Servatori oblata, sacratoq; Baptismatis lavacrô à peccatis abluta, & mystico Christi corpori inserta; atq; deinceps per omnem primã ætatem, cùm probâ educatione, tùm fideli institutione ad veri Christianismi leges & virtutes, atq; mores hunc sexũ maximè decentes, studiosè & solicitè formata & adsvefacta fuit. Nec frustrà fuit laudatissima hæc parentum in administrandâ Educatione tenellæ hujus filiolæ diligentia & industria. Cùm enim ex benigniori divini numinis munere nativam indolem accepisset optimam, ita, indies magis magisq; connatis naturæ dotibus sese exerentibus, in omni virtutum genere morumq; laudatissimorũ ornamentis profecit, ut laudem inveniret apud omnes, eosq; in admirationem & amorem sui totos converteret. Proinde cùm in laudabili hoc virtutũ curriculô gnaviter pergens jam adolevisset, annô 1621. à Magnificô, Consultissimô & Excellentissimô viro Dn. *Sebastiano Hempelio* J. U. D. & Celsiss. Duc. Pom. Consiliariô eminentissimô, ad perpetuum vitæ consortium expetita, Ipsiq; de consiliô Dn. Matris & Consangvineorum publicè desponsa, atq; die D. Martino sacrô, ejusdem anni, solenni nuptiarum sacrô copulata, inq; torô nuptiali apposita fuit. Qvod piè initum matrimonium non solùm summâ tranqvillitate cum exoptatissimô hoc suô maritô coluit, sed ipsum etiam 8. liberorum; duorum filiorum, & sex filiarum patrem effecit, ex qvibus ambo filij & una filia hunc matris ad cœlites abitum suô anteverterunt: qvinq; filiæ, divini numinis beneficiô, adhuc superstites, præmaturũ desideratissimæ matris ex hac vita excessum, cum amplissimô & mœstissimô Dn. Patre,

cali-

calidiſſimis lacrymis atq; ſuſpirijs acerbè lugent; qvas ut Deus ter opt. maximus vivificâ divini ſui Spiritus virtute, unà cum mœſtiſſimo Dn. Patre & totâ lugente familiâ erigere, firmare & cõſolari paternè velit, animitùs precamur.

Vitam ejus cæteram qvod attinet, illam, ut nemini ignotum eſſe poteſt, varijs egregiarum virtutum exemplis omnibus conſpicuam reddidit, idq; operam dedit ſedulò, neqvid vel dictis vel factis committeret, qvod juſtam reprehenſionem mereretur, aut à bonis improbari poſſet. Conjugem ſuum divinæ providentiæ nutu ſibi adjunctum debita obſervantiâ & facili obſeqviô impenſè coluit, variasq; animi ægritudines & difficiliores officij curas, prudentibus feſtivisq; alloqvijs aut planè eximere, aut ad minimum lenire & obſopire ſemper anniſa eſt. Cum ſororibus, conſangvineis, vicinis alijsq; amicitia ſibi aut humanitatis lege conjunctis pacem & concordiam ſanctè coluit, neminem dictô aut factô ſciens lubensvè læſit, ſed omnes promiscuè ſtudijs, officijs atq; obſeqvijs demereri ſtuduit; & pauperibus inprimis ac egenis nullum beneficij genus in ſe claudi paſſa eſt; cumq; probè ſciret, *pietatē habere promiſſiones hujus & futuræ vitæ*, eidem totam ſe conſecravit: Deum unum in Eſſentiâ, trinum in perſonis, devotâ veneratione coluit, verbum ejus & ſacramentorum uſum maximi ſemper fecit, atq; non ſolùm in audiendis Concionibus publicis, ſed in legendis etiam privatim ſacris Biblijs atq; alijs libris, ad veram pietatem excitantib9, omne tempus, à curis domeſticis vacuum, conſumſit. Ab hujus vitæ adverſitatibus atq; ærumnis, à qvibus neqvaqvam DEUS Ipſam immunem eſſe voluit, freta verè Chriſtianæ patientiæ clypeô, planè invictam ſe præſtitit, &, ſi qvando crucis molem ſibi imminere ſentiret, cum Pſalte regio piè ſuſpiravit: *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen*

men Domini prædicabo. Cum itaq; vitam cœlô dignam hactenus egiſſet, DEO complacuit, ab eoq́;, ne inter peccatores ampliùs vivens peſſimi hujus ſeculi injurijs eſſet obnoxia, in cœlum, præmaturâ qvidem, ſed placidiſſimâ morte translata eſt. Etenim, poſtqvam ante paucas hebdomadas difficilius puerperium vires ipſius valdè infregerat, cùm ſibi jam ex parte convaluiſſe videretur, ideoq́;, conſvetô apud Chriſtianos ritu, templum Domini repetens communitati Eccleſiæ ſe reſtitueret, vix domum reverſa, gravi cum morbô, procul dubio ex reliqvijs mali in puerperiô collecti, ſubortô colluctari cœpit, cujus rigore & indies in deterius incrementa capiente impetu, nihil proficientibus efficaciſſimis adhibitis medicamentis, hoc vas infirmum tandem confractum immortalem Spiritum, qvem hactenus qvaſi hospitē in ſe continuerat, rapto inqvilinatus fœdere, in cœlum, inſtructum antè ſaluberrimô corporis & ſangvinis Dominici viaticô, dimiſit, 19. Januarij currentis novi anni, circa 9. veſpertinam, cùm inter mortales vixiſſet annos 33. min. 3. hebdomad. dieb. qvinq;. Deus benigniſſimus exanimi corpusculo, magnô illô *Reſtitutionis omnium* die, cum omnibus Electis lætiſſimam reſurrectionem largiatur, & mœſtiſſimū Dn. viduum, gemētes ac frementes filiolas, totamq́; lugentem familiam ampliſſimam Spiritu rectitudinis & conſolationis impleat ac ſoletur, & ab omnibus ſimilibus caſibus lugubribus in poſterum intactam clementer conſervet.

Qvod ſupereſt, omnes & ſingulos ſtudioſos juvenes, qvi ſe noſtri cœtus membra profitentur, ſeriò exhortor, ut, cùm horâ 2. Pom. funus hoc ampliſſ. deducendum ſit, freqventes cōgreſſi, ex Auditoriô noſtro majori, præceptores, honoris cauſâ, in funus prodituros, decenti comitatu ſeqvantur. Prop. publicè 29. Jan. Annô 1636.

